

Pennalismusverbot Rostock

1662 März 7

Einblattdruck UB Rostock <http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791007502>

Transkription Kersten Krüger

RECTOR ET SENATUS ACADEMIAE ROSTOCHEINSIS civibus suis

Summus ille Historiarum juxta et prudentiae civilis autor Tacitus, Julii Agricolae res in Britannia gestas descripturus, non aliud adversus validissimas gentes fuisse pro Romanis utilius scribit, quam quod in commune non consulerent: sic enim factum, ut, dum pugnarent singuli, universi vincerentur. Omnino nec nobis, quibus ACADEMIAE JUVENTUTIS salus est concredita, quicquam magis hactenus obstitit, quominus Hydra illa Lernaea ex ipso quasi Orco propullans compesci, PENNALISMUS compesci debellarique potuerit. Quod cum vel tandem omnium fere Academiarum proceres animadverterent, nullum scilicet pro stabilienda DISCIPLINA ACADEMICA, et barbarie ista atque crudeli in innocentes grassandi more penitus tollendo atque eradicando superesse remedium, quam ipsam Academiarum CONCORDIAM proinde incomparabili zelo summoque consensu in illam coivere sententiam, communem hanc atque teterrimam pestem, quae hactenus Acedemias nostras et infamavit tantopere et affixit, ut vix umbra veteris nominis Academici superesse videatur, funditus ac radicitus exstirpendam pariter ac exterminandam. Quicquid enim his annis libidine, quicquid fraude, quicquid scelere peccatum est, ex atro illo fonte scitote profluxisse. Fecit hoc ispsum Academia LIPSIENSIS, WITTEBERGENSIS, SALANA, JULIA, GIESENA, ALTORFINA [Leipzig, Wittenberg, Jena, Helmstedt, Gießen, Altdorf]; facimus idem et nos praesente hoc programme, et, quod DEUS felix faustumque esse jubeat! PENNALISMUM, omnesque actiones Schoristicas una cum Collegiis Nationalibus, utpote mali hujus academici scaturiginibus, fulcris et fomentis, ex hoc nostro Athenaeo Balthico proscribimus, profligamus, et ad Garamantas usque relegamus, omniisque civibus nostris veteranis serio injungimus, ut non solum titulis illis Seniroum et Fiscalium abstineant: sed rem quoque ipsam et munus vitiosum nunquam deinceps resumendum deponant, libros statutorum nationalium et sigilla intra triduum nobis offerant, nullum in primum advenantes sibi imperium sumant, multo minus illos ad servitia qualiaunque praestanda cogant, aut ulla ratione divexent, nec pecunia emungant, ad symposia deducant, aut alio quocunque modo suum quasi sub jugum retrahant: sed solius ACADEMICI MAGISTRATUS inspectioni, correctioni, et animadversioni eos relinquunt: Novitios vero studiosos in hac nostra universitate jam praesentes et imposterum adventuros jubemus, ut petulantiam omnesque foedos brutosque mores et sui similibus exagitationes, quibus hactenus tam in locis sacris et publicis, quam aliis privatis congregationibus se totumque ordinem literatum turpiter prostituere non erubuerunt, seponant, nulli COLLEGIO NATIONALI se mancipient, ad servitia nulla cuiquam se submittant, nec amplius ad instar mendicorum, furiosorum, carnificum aut a milite exspoliatorum, vestitu lacere, nihilque honestatis praese ferente incedant: sed vel, quibus apparatus vestitus elegantioris in promptu erit, statim, vel, qui adhuc eo destituuntur, INSTANTE PASCHATOS FESTO talem habitum assumant, quali modestiores studiosi veterani utuntur. Novimus praeclaros animos, quibus non pauci vestrum, O Studiosi Juvenes! nobilitantur, qui etiam effecere, ut sponte Vincula Nationalia dissolvere, et sic publicationem hujus nostri programmatis abrogatorii antevertere voluerint. Quod equidem institutum merito laudamus, et, caeteros ad meliorem frugem vel sociorum suorum exemplo deducendos facile, speramus. Quod si tamen erunt, qui, nec DEI, nec propriae conscientiae salutisque rationem habentes, huic nostro mandato non sint ilico parituri, horum petulantiam et inobedientiam juxta leges propediem publicandas tanta compescemus severitate, ut disciplinae legumque nostrarum custodes et executores nos esse et ipsi et alii intellegant. Valet.

P. P. Rostochii VII. Martii Anno M.DC.LXII. sub sigillo Academiae magno.

ROSTOCHII, Typis JOHANNES KILII, Acad. Typogr. L.S.